

## FABVLÆ

### *Fabulæ explicatio.*

*Hæc fabula nos docet, quæ terribilia natura sint, vsu, atq; consuetudine fieri facilia.*

### ¶ *De Fele, & Gallo.*

**F**elis cum gallum quendam comprehendisset volebat eum aliqua honesta causa deuorare: itaq; accusabat eum dicens, illum esse hominibus molestum, dum noctu vociferaretur, nec illis dulci, ac suauis somno frui permittit. Cum autem gallus responderet, se id efficere, vt eorum commodis consulat, vt illi ad propria opera excitentur: rursus felis hanc illi actionem intēdebat, quod in naturam impius esset, seq; cum matre atq; sororibus misceret. Cum autē gallus, & hoc quoq; hominum vtilitatis grātia se facere diceret, vt ita illis inde maior ouorum copia & vbertas proueniant: respondit felis, Etiam si tu multis verisimilibus rationibus abundes, ego tamen incenatus non manebo: atq; ita illum deuorauit.

### *Fabulæ explicatio.*

*Hæc fabula nos docet, eos qui praua sint natura, si semel peccare decreuerint, neq; id probabili aliqua ratione facere potuerint, palam tamen illud effiteere & apertè.*

### ¶ *De Vulpe sine cauda.*

**V**ulpes quædam cum in casse quodam comprehensa esset, indeq; abscissa cauda euasisset non putabat sibi vitam vitalem esse præpudore.